

# AVRELII

PRUDENTII CLEMENTIS VI-

ri Consularis atq; Poētæ Christianissimi  
Liber καθημόρινων, id est, opus re=rum diurnarum, in usum pie iuuentutis editus.

Adiecta est Petri Mosellani epistola. Nam Leonardi Quercini ineptum de pientissimo poeta iudicium nihil moramur.

ANNO M. D. XXXIII.

Lipsiae excudebat Nicolaus Faber,  
MENSE SEPTEMBRI.

I vobis in primis rego  
Tempus ut speriat terrena misera  
Pigra nobiliter qid didicat nunc dey omni

PETRVS MOSELLANVS PROTE=  
GENSIS MATTHIAE MEYNERO  
liberalium artium Magistro, Illustriß. Saxo=  
niæ Ducis Georgij ad Niueum montem  
decimarum præfecto, Salutem.

**V**ulgare est, Matthia charissime, ut qui per se te=  
nues, unde hospitibus amicis beneficiant, domi  
non habent, & tamen liberales uideri uolunt, ij  
à vicinis locupletioribus ea quibus ad comiter excipien=  
dos amicos sit opus mutuentur. At mihi, cui iam olim in  
uotis est, quām Matthiae mei sim amans, singulari aliquo  
officio declarare, cum neq; domesticum ingeniali huius  
pœnus aliquid, quo te dignum conuiuium instruam, in  
præsenti suppeditet, neq; alienæ suppellectilis ceu pro=  
priae propositæ admiratione magnificus haberri susti=  
neam, illud conuiuatorum genus imitari placuit, qui  
suos amicos, si domi uel unde cœnam parent non habent,  
uel non imperarunt, in locupletis alicuius amici domum  
inuitant, quò simul, quod est ingenui ac liberalis animi,  
domesticam suam tenuitatem confitentur, & officio suo  
non desunt. Quanquam enim ipse aliquoties ineptiens ad  
nugas ex mei ipsius ingenij paupertate depromptas, le=  
ctores inuito, & quæ adolescentiæ ferè temeritas est,  
plures imperitiæ meæ testes, meo ipsius quasi preconio,  
colligo, tamen cum Prudentium Clementem familiarem  
habeam, qui unus omnium inter Christianos poetas le=  
ctores suos pascere sufficiat lautissime (sive preciosissi=  
mas panis cœlestis, hoc est, uerbi diuini epulas esurias,  
sive

Siue efficacis eloquentiae condimenta requiras, siue deniq;  
conuiuijs familiarem & gratam numerorum dulcedinem  
expectes ) uolui omnino & tibi, & per te iuuentuti Li=  
psiensi eius uiri suavitatem mecum facere communem.  
Non tam quod non iam olim uel ipse ad has lautitias tuo  
ductu accesseris, quam quod tui nominis inscriptione huc  
hymnorum libellum studiosis adolescentibus studuerim  
reddere commendatiorem. Quod ut magis etiam asse=  
quar, quicquid id est libelli, seorsim à Typographis ex=  
cudi curaui, & publice in schola nostra prælegendum  
suscepi. Bene uale. Lipsiæ è collegio nostro nonis No=  
uembbris, Anno domini M. D. XXII.

## AVRELII

PRUDENTII, VIRI CONSULA=  
RIS IN LIBRVM καθημορφωμ

### PRAEFATIO.

Ode tricolos tristrophos. Primus enim uersus est Gly=  
conius, constans Spondæo, Choriambus & Pyrrichio. Se=  
cundus Asclepiadæus, constans Spondæo & duobus Cho=  
riambis & Pyrrichio. Tertius Choriambus, constans  
Spondæo, & tribus Choriambis, & Pyrrhichio, hoc  
modo.

-- -VV- VV  
-- -VV- -VV- VV  
-- -VV- -VV- -VV- V

A 2 Pcs

**P**er quinquennia iam decem,  
Ni fallor, siimus, septimus insuper  
Annum cardo rotat, dum fruimur sole uolubili.  
**I**nstat terminus, et diem  
Vicinum senio iam Deus applicat,  
Quid nos utile tanti spacio temporis egimus?  
**A**etas prima crepantibus  
Fleuit sub ferulis, mox docuit toga  
Infectum uicijs falsa loqui, non sine crimine.  
**T**um lasciuia proteruitas,  
Ac luxus petulans, heu pudet, ac piget,  
Foedauit iuuenem nequitiae sordibus, ac luto.  
**E**xin iurgia turbidos  
Armarunt animos, et male pertinax  
Vincendi studium subiacuit casibus asperis.  
**B**is legum moderamine  
Frenos nobilium reximus urbium,  
Ius ciuile bonis reddidimus, terruimus reos.  
**T**andem militiae gradu  
Euectum pietas Principis extulit,  
Adsumptum proprius stare iubens ordine proximo.  
**H**ec dum uita uolans agit,  
Irrepsit subito canicies seni,  
Oblitum ueteris Messaliæ consulis arguens.  
**S**ub quo prima dies mihi  
Quam multas hyemes uoluerit, et rosas  
Pratis post glaciem reddiderit, nix capit is probat.  
**N**unquid talia proderunt

Carnis

Carnis post obitum uel bona, uel mala?  
Cum iā quicquid id est, quod fueram, mors aboluerit.  
Dicendum mihi quisquis es,  
Mundum, quem coluit, mens tua perdidit,  
Non sunt illa Dei, quæ studuit, cuius habeberis?  
Atqui fine sub ultimo  
Peccatrix anima stultitiam exuat,  
Saltem uoce Deum concelebret, si meritis nequit.  
Hymnis continuet dies,  
Nec nox ulla uacet, quin dominum canat,  
Pugnet contra hæreses, catholicam discutiat fidem.  
Conculcet sacra gentium,  
Labem Roma tuis inferat idolis,  
Carmen martyribus deuoueat, laudet Apostolos.  
Hæc dum scribo, uel eloquor,  
Vinclis o utinam corporis emicem  
Liber, quo tulerit lingua sono mobilis ultimo.

HYMNVS AD GALLICANTVM.

Monocolon dimetrum Iambicum, Archilochicum, Aca-  
talecticum, recipiens locis imparibus Spondæum, &  
nonnunquam Anapæstum. Paribus uero Iambum, &  
nonnunquam Pyrrhichium, hoc modo.

--      u -      --      u u

**A** Les diei nuncius  
Lucem propinquam præcinit,  
Nos excitator mentium  
Iam Christus ad uitam uocat.  
Auferte clamat lectulos,

A 3      Acros

Aegros sopores, desides,  
Castiꝝ; recti ac sobrij  
Vigilate, iam sum proximus.  
Post solis ortum fulgidi  
Serum est cubile spernere,  
Ni parte noctis addita  
Tempus labori adieceris.  
Vox ista, qua strepunt aues  
Stantes sub ipso culmine,  
Paulo ante quam lux emicet,  
Nostri figura est iudicis.  
Tectos tenebris horridis,  
Stratisꝝ; opertos segnibus,  
Suadet quietem linquere  
Iam iamq; uenturo die.  
Ut cum coruscis flatibus  
Aurora cœlum sparscrit,  
Omnes labore exercitos  
Confirmet ad spem luminis.  
Hic somnus ad tempus datus,  
Est forma mortis perpetis,  
Peccata ceu nox horrida  
Cogunt iacere, ac stertere.  
Sed uox ab alto culmine  
Christi docentis præmonet,  
Adesse iam lucem prope,  
Ne mens sopori seruiat.  
Ne somnus usq; ad terminos

Vtta

Vitæ socordis, opprimat  
Pectus sepultum criminè,  
Et lucis oblitum suè.  
**F**erunt uagantes dæmonas  
Lætos tenebris noctium,  
Gallo canente exterritos  
Sparsim timere, & cedere.  
**I**nuisa nam uicinitas  
Lucis, salutis, numinis,  
Rupto tenebrarum situ  
Noctis fugat satellites.  
**H**oc esse signum præscij  
Norunt reppromissæ spei,  
Qua nos soporis liberi  
Speramus aduentum Dei.  
**Q**uæ uis sit huius alitis,  
Saluator ostendit Petro,  
Ter ante quām gallus canat,  
Sese negandum prædicans.  
**F**it namq; peccator prius,  
Quām præco lucis proximæ  
Illustret humanum genus,  
Finemq; peccandi ferat.  
**F**leuit negator deniq;  
Ex ore prolapsum nefas,  
Cum mens mancret innocens,  
Animusq; seruaret fidem.  
**N**ec tale quicquam postea

A 4 Lingua

Lingua locutus lubrica est,  
Cantuq; galli cognito,  
Peccare iustus destitit.  
Inde est, quod omnes credimus,  
Illo quietis tempore,  
Quo gallus exultans canit,  
Christum redisse ex inferis.  
Tunc mortis oppressus uigor,  
Tunc lex subacta est tartari,  
Tunc uis diei fortior  
Noctem coēgit cedere.  
Iam iam quiescant improba,  
Iam culpa furua obdormiat,  
Iam noxa lœthalis suum  
Perpessa somnum, marceat.  
Vigil uicissim spiritus  
Quodcunq; restat temporis  
Dum meta noctis clauditur,  
Stans ac laborans excubet.  
Iesum ciamus uocibus,  
Flentes, precantes sobrie.  
Intenta supplicatio  
Dormire cor mundum uetat.  
Sat conuolutis artibus  
Sensem profunda obliuio  
Pressit, grauauit, obruit,  
Vanis uagantem somnijs.  
Sunt nempe falsa, et friuola,

Quæ

Quæ mundi gloria  
Ceu dormientes egimus,  
Vigilemus, hic est ueritas.  
Aurum, uoluptas, gaudium,  
Opes, honores, prospera,  
Quæcunq; nos inflant mala,  
Fit mane, nil sunt omnia.  
Tu Christe somnum disijce,  
Tu rumpe noctis uincula,  
Tu solue peccatum uetus,  
Nouumq; lumen ingere.

HYMNVS MATVTINVS.  
Carminis ratio eadem est, quæ superioris.

**N**Ox, & tenebræ, & nubila,  
Confusa mundi, & turbida,  
Lux intrat, albescit polus,  
Christus uenit, discedite.  
Caligo terræ scinditur  
Percussa solis spicula,  
Rebusq; iam color reddit,  
Vultu nitentis syderis.  
Sic nostra mox obscuritas,  
Fraudisq; pectus consciuum.  
Ruptis reiectum nubibus,  
Regnante pallescit Deo.  
Tunc non licebit claudere,  
Quod quisq; fuscum cogitat,

A S

Sc I

Sed mane clarescent nouo  
Secreta mentis prodita.  
Fur ante lucem squalido  
Impune peccat tempore,  
Sed lux dolis contraria  
Latere furtum non sinit.  
Versuta fraus, & callida,  
Amat tenebris obtegi,  
Aptamq; noctem turpibus  
Adulter occultus fouet.  
Sol ecce surgit igneus  
Piget, pudet, poenitet,  
Nec teste quisquam lumine  
Peccare constanter potest.  
Quis mane sumptis nequiter  
Non erubescit poculis,  
Cum sit libido temperans,  
Castumq; nugator sapit?  
Nunc nunc seuerum uiuitur,  
Nunc nemo tentat ludicrum,  
Inepta nunc omnes sua  
Vultu colorant serio.  
Hæc hora cunctis utilis,  
Qua quisq; quod studet, gerat,  
Miles, togatus, nauita,  
Opifex, arator, institutor.  
Illum forensis gloria,  
Hunc triste raptat classicum,

Mercator

Mercator hinc, ac rusticus  
Auara suspirant lucra.  
At nos lucelli, ac fœnoris  
Fandiq; prorsus nescij,  
Nec arte fortis bellica,  
Te Christe solum nouimus.  
Te mente pura, & simplici  
Te uoce, te cantu pio,  
Rogare curuato genu  
Flendo & canendo discimus.  
His nos lucramur quæstibus,  
Hac arte tantum uiuimus,  
Hæc inchoamus munera,  
Cum sol resurgens emicat.  
Intende nostris sensibus,  
Vitamq; totam dispice,  
Sunt multa fucis illita,  
Quæ luce purgentur tua.  
Durare nos tales iube,  
Quales remotis sordibus  
Nitere pridem iusseras,  
Iordanè tintos flumine.  
Quodcunq; nox mundi dehinc  
Infecit atris nubibus,  
Tu \* rex Eo! syderis  
Vultu sereno illumina.  
Tu sancte, qui tetram picem  
Candore tingis lacteo,

\* lux

Ebenoq;

Hebenoq; crystallum facis,  
Delicta tergens liuida.  
Sub nocte Iacob cœrula  
Luctator audax angeli,  
Eò usq; dum lux surgeret.  
Sudauit impar prælio.  
Sed cum iubar claresceret,  
Lapsante claudus poplite,  
Femurq; uictus debile  
Culpæ uigorem perdidit.  
Nutabat inguen saucium,  
Quæ corporis pars uilior,  
Longeq; sub cordis loco  
Diram fouet libidinem.  
Hæ nos docent imagines,  
Hominem tenebris obsitum  
Si forte non cedat Deo,  
Vires rebelles perdere.  
Erit tamen beatior,  
Intemperans membrum cui  
Luctando claudum, et tabidum  
Dies oborta inuenerit.  
Tandem faceſſat cæcitas,  
Quæ nosmet in præceps diu  
Lapsos sinistris gressibus  
Errore traxit deuio.  
Hæc lux serenum conferat,  
Purosq; nos præſtet ſibi,

Gola feruor  
angore forat  
glaciam

Nihil

Nihil loquamur subdolum,  
Voluamus obscurum nihil.  
Sic tota decurrat dies,  
Ne lingua mendax, nec manus,  
Oculi ne peccent lubrici,  
Ne noxa corpus inquiet.  
Speculator adstat de super,  
Qui nos diebus omnibus,  
Actusq; nostros proficit  
A luce prima in uesterum.  
Hic testis, hic est arbiter,  
Hic intuetur quicquid est  
Humana quod mens concipit,  
Hunc nemo fallit iudicem.

#### HYMNVS ANTE CIBVM.

Carmen Alcmanium, trimetrum, hypercatalecticum,  
monocolon, pentastrophon, constans tribus Dactylis &  
semipede, id est heptimemeri heroica, hoc modo.

- u u - u u - u u u

O Crucifer bone lucifator,  
Omniparens, pie, uerbigena,  
Aedite corpore uirgineo,  
Sed prius in genitore potens,  
Astra, solum, mare quam fierent.  
Huc nitido precor intuitu  
Flecte salutiferam faciem,  
Fronte serenus: & irradia,

Nominis

Nominis ut sub honore tui  
Has epulas liceat capere.  
**T**e sine dulce nihil domine,  
Nec iuuat ore quid appetere,  
Pocula ni prius, atq; cibos *R-9. p-4*  
Christe tuus fauor imbuerit  
Omnia sanctificante fide. *D-L p-4*  
Fercula nostra deum sapient,  
Christus & influat in pateras.  
Seria, ludicra, uerba, iocos,  
Deniq; quod sumus, aut agimus,  
Trina superna regat pietas.  
Hic mihi nulla rosea spolia,  
Nullus aromate fragrat odor,  
Sed liquor influit ambrosius,  
Nectareamq; fidem redolet  
Fusus ab usq; patris gremio.  
Sperne camœna leues hederas,  
Cingere tempora quis solita es,  
Sertaq; mystica dactylico  
Texere docta, ligastrophio  
Laude Dei redimita comas.  
**Q**uod generosa potest anima,  
Lucis & aetheris indigena,  
Soluere dignius obsequium?  
Quam data munera si recinat  
Artificem modulata suum?  
Ipse homini quia cuncta dedit,

*Qua*

Quæ capimus dominante manu,  
Quæ polus, aut humus, aut pelagus  
Aëre, gurgite, rure creant,  
Hæc mihi subdidit, et sibi me.  
Callidus illaqueat uolucres  
Aut pedicis dolus, aut maculis,  
Illata glutine corticeo  
Vimina plumigeram seriem  
Impediunt, et abire uetant.  
Ecce per æquora fluctiuagos  
Texta greges sinuosa trahunt.  
Piscis item sequitur calanum,  
Raptus acumine uulnifico  
Credula saucijs ora cibo.  
Fundit opes ager ingenuas,  
Diues aristiferæ segctis,  
Hic ubi uitea pampinoe  
Brachia palmite luxuriant,  
Pacis alumna ubi bacca uiret.  
Hæc opulentia Christicolis  
Seruit, et omnia suppeditat.  
Absit enim procul illa famæ  
Cædibus ut pecudum, libeat  
Sanguineas lacerare dapes.  
Sint fera gentibus indomitis  
Prandia, de necc quadrupedum:  
Nos oleris como, nos siliqua  
Fœta legumine multimodo

Paucrit

Paucerit innocuis epulis.  
Spumca multa gerunt niueos  
Vbere de gemino latices,  
Perq; coagula densa liquor  
In solidum coit, & fragili  
Lac tenerum premitur calato.  
Mella recens mihi Cecropia  
Nectare sudat olente fauus,  
Hec opifex apis aërio  
Rore liquat, tenuiq; thymo,  
Nexilis inscia connubij.  
Hinc quoq; pomiferi nemoris  
Munera mitia proueniunt,  
Arbor onus tremefacta suum  
Deciduo grauis imbre pluit,  
Puniceosq; iacit cumulos.  
Quae ueterum tuba, quæuc lyra  
Flatibus incita, uel fidibus,  
Divitis omnipotentis opus,  
Quæq; fruenda patent homini,  
Laudibus equiparare queat?  
Te pater optime mane nouo,  
Solis & orbita cum media est,  
Te quoq; luce sub occidua  
Sumere cum monet hora cibum,  
Nostra deus canet harmonia.  
Quod calet halitus interior,  
Corde quod abdita uena tremit,

Pulsat

Pulsat & incita quod resonam  
Lingua sub ore latens caucam,  
Laus superi patris esto mihi.

Nos igitur tua sancta manus  
Cespite composuit madido,  
Effigiem meditata suam,  
Utq; foret rata materies,  
Flavit & indidit ore animam.

Tunc per amœna uireta iubet  
Frondicomis habitare locis.  
Ver ubi perpetuum redolet,  
Prataq; multicolorata latex  
Quadrifluo celer amne rigat.

Hæc tibi nunc famulentur ait,  
Vſibus omnia dedo tuis,  
Sed tamen aspera mortifero  
Stipite carpere poma ueto,  
Qui medio uiret in nemore.

Hic draco perfidus indocile  
Virginis illicit ingenium,  
Ut socium maleuada uirum  
Mandere cogeret ex uetitis,  
Ipsa pari peritura modo.

Corpora mutua nosse nefas,  
Post epulas inoperta uident  
Lubricus error & erubit.  
Tegmina suta parant folijs,  
Dedecus ut pudor occuleret.

*aut lingua p. de fronte*

B

Conſciā

Conscia culpa Deum puitans  
Sede pia procul exigitur.  
Innuba foemina quæ fuerat,  
Coniugis excipit imperium,  
Fœderata tristia iussa pati.  
Author & ipse doli coluber  
Plectitur improbus, ut mulier  
Colla trilingua calce terat,  
Sic coluber muliebre solum  
Suspicit, atq; uirum mulier.  
His ducibus uiciosa dehinc  
Posteritas ruit in facinus,  
Dumq; rudes imitatur auos  
Fas nefasq; simul glomerans  
Impia crimina morte luit.  
Ecce uenit noua progenies,  
Aethere proditus alter homo,  
Non luteus, uelut ille prius:  
Sed deus ipse gerens hominem,  
Corporeisq; carens uicijs.  
Fit caro uiuida sermo patris,  
Numine quem rutilante grauis  
Non thalamo, neq; iure thori,  
Nec genialibus illecebris  
Intemerata puella parit.  
Hoc odium uetus illud erat,  
Hoc erat aspidis atq; hominis  
Digladiabile dissidium

Quod

Quod modo cernua fœmineis  
Vipera proteritur pedibus.

Edere nanq; Deum merita  
Omnia uirgo uenena domat,  
Tractibus anguis inexplicitis  
Virus inerme piger reuomit,  
Gramine concolor in uiridi.

Quæ feritas modo non trepidat,  
Territa de grege candidulo :  
Impavidas lupus inter oves  
Tristis obambulat, & rabidum  
Sanguinis immemor os cohibet.

Agnus enim uice mirifica  
Ecce leonibus imperitat,  
Exagitansq; truces aquilas  
Per uaga nubila, perq; notos  
Sydere lapsa columba fugat.

Tu mihi Christe columba potens,  
Sanguine pasta cui cedit auis.  
Tu niueus per ouile tuum  
Agnus hiare lupum prohibes,  
Sub iuga tigridis ora premens.

Da locuples Deus hoc famulis  
Rite precantibus, ut tenui  
Membra cibo recreata leuent,  
Neu piger immodicis dapibus  
Viscera \* tanta grauet stomachus.  
Hausstus amarus abesto procul,

tensa.

B z

Nee

Nec libeat tetigisse manis  
Exitiale quid, aut uetitum,  
Gustus & ipse modum teneat,  
Sospitet ut iecur incolumē.  
Sit satis anguibus horrificis,  
Liba quod impia corporibus  
Ah miseram peperere necem.  
Sufficiat semel ob facinus  
Plasma Dei potuisse mori.  
Oris opus, uigor igneolus  
Non moritur, quia flante Dō  
Compositus, superoq; fluens  
De solio patris artificis,  
Vim liquidæ rationis habet.  
Viscera mortua, qui metiam  
Post obitum reparare datur,  
Eq; suis iterum tumulis  
Prisca renascitur effigies,  
Puluere o coeunte situ.  
Credo equidem, neq; uana fides,  
Corpora uiuere more animæ:  
Nam modo corporeum memini  
De Phlegetonte gradu facili  
Ad superos remeasse deum.  
Spes eadem membra mea manet,  
Quæ redolentia funereo  
Iussa quiescere sarcophago.

Dux

Dux \* parilis rediuius homo      \* parili rediui-  
Ignea Christus ad astra uocat.      uus humo.

HYMNVS POST CIBVM.

Metrum monocolon hendecasyllabum Phaletium, con-  
stans Spondeo, Dactylo, & tribus Trochaeis, hoc modo.

-- -VV -V -V -V

**P**astis uisceribus, ciboq; sumpto,  
Quem lex corporis imbecilla poscit,  
Laudem lingua deo patri rependat:  
Patri, qui Cherubim sedile sacrum,  
Nec non & Seraphim suum supremo  
Subnixus folio tenet regitq;.  
Hic est, quem Sabaoth deum uocamus,  
Expers principij, carensq; fine  
Rerum conditor, & reperitor orbis.  
Fons uitæ liquida fluens ab arce,  
Infusor fidei, sator pudoris,  
Mortis perdomitor, salutis author.  
Omnes quod sumus, aut uigemus, inde est,  
Regnat spiritus ille sempiternus,  
A Christo simul & parente missus.  
Intrat pectora candidus pudica,  
Quæ templi uice consecrata rident,  
Postquam combiberint deum medullis.  
Sed si quid uicij, dolue nasci  
Inter uiscera iam dicata sensit,  
Ceu spurcum, refugit celer facillum.

B 3 Tetrus

Tetrum flagrat enim uapore crasso  
Horror conscius æstuante culpa,  
Offensumq; bonum niger repellit.  
Nec solus pudor, innocensq; uotum  
Templum constituunt perenne Christo  
In cordis medijs sinu, ac recessu.  
Sed ne crapula ferueat cauendum est,  
Quæ sedem fidei cibis refertam  
Vsq; ad congeriem coarctet intus.  
Parcis uictibus expedita corda  
Infusum melius deum receptant,  
Hic pastus animæ est, saporq; uerus.  
Sed nos tu gemino fouens paratu,  
Artusq; atq; animas utroq; pastu  
Confirmas pater, ac uigore completes.  
Sic olim tua præcluens potestas,  
Inter raucisonos situm leones  
Illapsis dapibus uirum refouit.  
Illum fusile numen execrantem,  
Et curuare caput sub expolita  
Aceris materia nefas putantem.  
Plebs diræ Babylonis, ac tyranus  
Morti subdiderant, feris dicarant,  
Sæuis protinus haustibus uorandum.  
O semper pietas, fidesq; tuta,  
Lambunt indomiti uirum leones,  
Intactumq; Dei tremunt alumnū.  
Astant comminus, et iubas reponunt,

Manuscit

Mansuescit rabies, fameq; blanda  
Prædam rictibus lambit incruentis.  
Sed cum tenderet ad superna palmas,  
Expertumq; sibi deum rogaret,  
Clausus iugiter, indigensq; uictu,  
Iussus nuncius aduolare terris,  
Qui pastum famulo daret probato,  
Raptum desilit obsequente mundo.  
Cernit forte procul dapes inemptas,  
Quas messoribus Abbacuc propheta  
Agresti bonus exhibebat arte.  
Huius cæsarie manu prehensa,  
Plenis sicut erat grauem canistris  
Suspensum rapit & uebit per auras.  
Tum raptus simul ipse, prandiumq;  
Sensim labitur in lacum leonum,  
Et quas tunc epulas gerebat, offert.  
Sumas lactus ait, libensq; carpas,  
Quæ summus pater, angelusq; Christi  
Mittunt liba tibi sub hoc periclo.  
His sumptis, Danielus excitavit  
In cœlum faciem, ciboq; fortis  
Amen reddidit, alleluia dixit.  
Sic nos muneribus tuis refeci,  
Largitor deus omnium bonorum  
Grates reddimus & sacramus hymnos,  
Tu nos tristifico uelut tyranno,  
Mundi scilicet impotentis actu

Conclusos, regis, et feram repellis.  
Quae circumfremunt, ac uorare tentat,  
Insanos acuens furore dentes,  
Cum te summe deus precemur unum.  
Vexamur, premimur, malis rotamur,  
Oderunt, lacerant, trahunt, lassent,  
Iuncta est supplicij fides inquis.  
Nec defit tamen anxijs medela,  
Nam languente trucis leonis ira,  
Illapsæ superingeruntur escæ.  
Quas si quis sit ienter hauriendo  
Non gustu tenui, sed ore pleno,  
Internis uelit implicare uenis.  
Hic sancto satiatus ex propheta,  
Iustorum capiet cibos uirorum,  
Qui fructum domino metunt perenni.  
Nil est dulcius ac magis saporum,  
Nil quod plus hominem iuuare possit,  
Quam uatis pia præminentis orsa.  
His sumptis licet insolens potestas  
Prauum iudicet, irrogetq; mortem,  
Impasti licet irruant leones.  
Nos semper dominum patrem fatentes,  
In te Christe deus loquemur unum,  
Constanterq; tuam crucem feremus.

HYMNVS AD INCENSVM  
cerei paschalis.

Carmen monocolon Choriambicum Asclepiadicum,  
Tetrametrum

Tetrametrum. A catalecticum, constans Spondeo, duobus Choriambis, Pyrrhichio uel Iambo, hoc modo.

-- -uu- -uu- uu

**I**NVENTOR rutili dux bone luminis,  
Qui certis uicibus tempora diuidis,  
Merso sole chaos ingruit horridum,  
Lucem Christe tuis redde fidelibus.  
Quamuis in numero sydere regiam,  
Lunariq; polum lampade pinxeris,  
Incussu silicis lumina nos tamen  
Monstras faxigeno semine querere.  
Hoc signas opere conditor inclyte,  
Lumen ueridicum mentibus omnium,  
In Christo domino querere iugiter,  
Quem petram loquitur doctor egregius.  
Ne nesciret homo spem sibi luminis  
In Christi solido corpore conditam,  
Qui dici stabilem se uoluit petram,  
Nostris igniculis unde genus uenit.  
Pingui quos olei rore madentibus  
Lychnis aut facibus pascimus aridis,  
Quin ex filia fauis scirpea floreis  
Presso melle prius collita singimus.  
Viuax flamma uiget, seu caua testula  
Succum linteolo suggerit ebrio,  
Seu pinus piceam fert alimoniam,  
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.  
Nectar de liquido uertice feruidum

B 5

Guttatum

Guttatim lachrymis stillat \* alentibus, \* olentibus  
Ambustum, quoniam uis facit ignea  
Imbrem de madido flere cacumine.  
Splendent ergo tuis muneribus pater  
Flammis mobilibus scilicet atria,  
Absentemq; diem lux agit æmula,  
Quam nox cum lacero uicta fugit peplo.  
Sed quis non rapidi luminis arduam,  
Manantemq; Deo cernat originem?  
Moses nempe Deum spinifero in rubo  
Vidit conspicuo lumine flammeum.  
Fœlix qui meruit sentibus in sacris  
Cœlestis solij uisere principem,  
\* Iussus nexa pedum uincula soluere, \* Hostis  
Ne sanctum inuolucris pollueret locum.  
Hunc ignem populus sanguinis incliti  
Maiorum meritis tutus, et impotens,  
Suetus sub doninis uiuere barbaris,  
Iam liber sequitur longa per auia:  
Qua gressum tulerant, castraq; cerulæ  
Noctis per medium concita mouerant,  
Plebem per uigilem fulgere præuio  
Ducebat radius sole micantior.  
Sed rex Niliaci littoris, in uido  
Feruens felle, iubet præualidam manum  
In bellum rapidis ire cohortibus,  
Ferratasq; acies clangere classicum.  
Sumunt arma uiri, seq; minacibus

Accingunt

Accingunt gladijs, triste canit tuba,  
Hic fudit iaculis, ille uolantia  
Præfigit calamis spicula Gnoſijs,  
Densatur cuneis turba pedestribus,  
Curruſ pars, & equos, & uolucres rotas  
Conſcendunt celeres, ſignaq; bellica  
Prætendunt tumidis clara draconibus.  
Hinc iam ſeruitij neſcia priſtini  
Gens Peluſiacis uita uaporibus,  
Tandem purpurei gurgitis hospita  
Rubris littoribus feſſa reſederat.  
Hoſlis dirus adeſt cum duce perſido,  
In fert & ualidis prælia uiribus.  
Moſes porro ſuos in mare præcipit  
Conſtans, intrepidis tendere gressibus.  
Præbent rupta locum ſtagna uiantibus,  
Riparum in faciem peruia, ſiſtitur  
Circumſtans uitreis unda liquoribus,  
Dum plebs ſub bifido permeat æquore.  
Pubes quinetiam decolor aſperis  
Irritata odijs, rege ſub impio,  
Hebreum ſitiens fundere ſanguinem  
Audet ſe pelago credere concauo.  
Uant præcipiti turbine percita  
Fluctus per medios agmina regia.  
Sed confuſa dehinc unda reuoluitur  
In ſemet reuolans gurgite conſluo.  
Curruſ tunc, & equos, telaq; naufragas,

Ipsos

Ipsos & proceres, & uaga corpora  
Nigrorum uideas nare satellitum,  
Arcis iustitium triste tyrannicæ.  
**Q**uæ tandem poterit lingua retexere  
Laudes Christe tuas ? qui domitum Pharon  
Plagis multimodis cedere præsuli  
Cogis iusticiæ, uindice dextera,  
**Q**ui pontum rapidis æstibus inuium  
Persultare uetas, ut resluo in salo  
Securus pateat te duce transitus,  
Et mox unda rapax ut uoret impios.  
**C**ui iciuna uiæ saxa madentibus  
Exundant scatebris, & latices nouos  
Fundit scissa silex, quæ sitientibus  
Dat potum populis axe sub igneo.  
**I**nstar fellis aqua tristifico in lacu  
Fit ligni uenia mel uelut Atticum,  
Lignum est, quo sapiunt aspera dulcior,  
Nam præfixa cruci spes hominum uiget.  
**I**mplet castra cibus tunc quoq; pinguidus,  
Illabens gelida grandine densius,  
His mensas epulis, hac dape construunt,  
Quam dat sydereo Christus ab æthere.  
**N**ec non imbrifero uentus anhelitu  
Crassa nube leues inuehit alites,  
Quæ difflata in humum cum semel agmina  
Fluxerunt, reduci non reuolant fuga.  
**H**æc olim patribus præmia contulit

Insignis

Insignis pietas numinis unici,  
Cuius subsidio nos quoq; uescimur,  
Pascentes dapibus pectora mysticis.  
Fessos ille uocat per freta seculi,  
Discissis populum turbibus regens.  
Ereptasq; animas mille laboribus  
Iustorum in patriam scandere præcipit.  
Illic purpureis tecta rosarijs  
Omnis fragrat humus, caltaq; pinguis  
Et molles uiolas, & tenues crocos  
Fundit fonticulis unda fugacibus.  
Illic & gracili balsama surculo  
Desudata fluunt, raraq; cinnama  
Spirant, & folium, fonte quod abdito,  
Prælabens fluuius portat in exitum.  
Fœlices animæ prata per herbida  
Concentu parili suaue sonantibus  
Hymnorum modulis dulce canunt melos,  
Calcant & pedibus lilia candidis.  
Sunt & spiritibus sëpe nocentibus  
Pœnarum celebres sub styge feriae,  
Illa nocte sacer qua redijt deus  
Stagnis ad superos ex Acheronticis.  
Non sicut tenebras de face fulgida  
• Surgens Oceano lucifer imbuit,  
Sed terris domini de cruce tristibus  
Maior sole nouum restituens dicm.  
Marcent supplicijs tartara mitibus,

Exultatq;

Exultatq; sui carceris ocio  
Vmbrarum populus, liber ab ignibus,  
Nec feruent solito flumina sulphure.

Nos festis trahimus per pia gaudia

Noctem concilijs, uotaq; prospera  
Certatim uigili congerimus prece,  
Exstructoq; agimus liba sacrificio.  
Pendent mobilibus lumina funibus,

Qu e suffixa micant per laquearia,

Et de languidulis fata natalibus  
qua uocat Lucem perspicuo flamma iacit uitro.

Credas stelligeram desuper aream

Ornatam geminis stare trionibus,  
Et qua Phosphoreum temo regit iugum  
Passim purpureos spargier hesperos.

O res digna Deus, quam tibi roscidae

Noctis principio grex tuus offerat

Lucem, qua tribuis, nil preciosius

Lucem, qua reliqua premia cernimus.

Tu lux uera oculis, lux quoq; sensibus,

Intus tu speculum, tu speculum foris,

Lumen, quod famulans offero, suscipe,

Tinctum pacifici chrismatis unguine.

Per Christum genitum summe pater tuum,

In quo uisibilis stat tibi gloria,

Qui noster dominus, qui tuus unicus

Spirat de patre corde paraclitum.

Per quem splendor, honos, laus, sapientia,

Majestas

Maiestas, bonitas, et pietas tua  
Regnum continuat numine triplici,  
Texens perpetuis secula seculis,

HYMNVS ANTE SOMNVM.

Dimetrum lambicum Anacreonticum Catalecticum  
monocolon tetrastraphon, constans tribus pedibus, et  
semipede. Primo enim loco habet Iambum vel Spon-  
dæum promiscue, secundo Iambum, tertio Iambum vel  
Spondæum, hoc modo.

v - v - v - v  
-- v - -- v

Des pater supreme,  
Quem nemo uidit unquam,  
Patrisq; sermo Christe,

Et spiritus benignus.

O trinitatis huius

Vis una, lumen unum,  
Deus ex deo perennis,  
Deus ex utroq; missus.

Fluxit labor diei,

Redit quietis hora,  
Blandus sopor uicissim

Fessos relaxat artus.

Mens æstuans procellis

Curisq; sauciata,

Totis bibit medullis

Obliuiale poculum.

Serpit per omne corpus

Lethæd

Lethæa uis, nec ullum  
Miseris doloris ægri  
Patitur manere sensum.  
Lex hæc data est caducis  
Deo iubente membris,  
Ut temperet laborem  
Medicabilis uoluptas.  
Sed dum pererrat omnes  
Quies amica uenas  
Pectusq; feriatum  
Placat rigante somno.  
Liber uacat per auras  
Rapido uigore sensus,  
Variasq; per figuræ,  
Quæ sunt operta cernit.  
Quia mens soluta curis,  
Cui est origo cœlum,  
Purusq; fons ab æthra  
Iners iacere nescit.  
Imitata multiformes  
Facies, sibi ipsa fingit,  
Per quæ repente currens,  
Tenui fruatur actu.  
Sed sensa somniantum.  
Dispar fatigat horror,  
Nunc splendor intererrat,  
Qui dat futura nosse.  
Plerunq; dissipatis

Mendax

Mendax imago ueris,  
Animos pauore moestos  
Ambage fallit atra.  
**Q**uem rara culpa morum  
Non polluit frequenter,  
Hunc lux serena uibrans  
Res edocet latentes,  
At qui coquinatum  
Vitijs cor impiauit,  
Lusus pauore multo  
Species uidet tremendas.  
**H**oc patriarcha noster  
Sub carceris catena  
Genunis simul ministris  
Interpres adprobauit.  
**Q**uorum reuersus unus  
Dat poculum tyranno,  
Ast alterum rapaces  
Fixum uorant uolucres.  
**I**psum deinde regem  
Perplexa somniantem,  
Nouit famem futuram  
Clausis cauere aceruis.  
**M**ox praesul ac tetrarches  
Regnum per omne iussus  
Sociam tenere uirgam,  
Dominæ resedit aule.  
**O** quam profunda iustis

C Arcana

Arcana, per soporem  
Aperit tuenda Christus,  
Quam clara, quam tacenda.  
Euangelista summi  
Fidissimus magistri,  
Signata que latebant  
Nebulis uidet remotis.  
Ipsum tonantis agnum  
De cæde purpurantem,  
Qui conscientum futuri  
Librum resignat unus.  
Huius manum potentem  
Gladius perarmat anceps,  
Et fulgurans utring;  
Duplicem minatur ictum.  
Quæsitor ille solus  
Animæq; corporisq;  
Ensisq; bis timendus  
Prima, ac secunda mors est.  
Idem tamen benignus  
Vltor, retundit iram,  
Paucosq; non piorum  
Patitur perire euum.  
Huic inclitus perenne  
Tribuit pater tribunal  
Hunc obtinere iussit  
Nomen, supra omne nomen.  
Hic præpotens cruenti

Extinctor

Extinctor Antichristi,  
Qui de furente monstro  
Pulchrum refert trophæum.  
Quam bestiam capacem,  
Populosq; deuorantem,  
Quam sanguinis charybdim  
Ioannes execratur.  
Hæc nempe, quæ sacratum  
Præferre nomen ausa,  
Imam petit gehennam,  
Christo perempta uero.  
Tali sopore iustus  
Mentem relaxat heros,  
Ut spiritu sagaci  
Cœlum peragret omne.  
Nos nil meremur horum,  
Quos creber implet error,  
Concreta quos malarum  
Vitiat cupido rerum.  
Sat est quiete dulci  
Fessum fouere corpus,  
Sat si nihil sinistrum  
Vanæ minentur umbræ.  
Cultor dei memento  
Te fontis ex lauacri  
Rorem subisse sanctum,  
Te chrismate innouatum.  
Eac cum uocante somno

C 2 Castum

**C**astum petis cubile,  
Frontem, locumq; cordis  
Crucis figura signet.

**C**rux pellit omne crimen,  
Fugiant crucem tenebræ,  
Tali dicata signo  
Mens fluctuare nescit.

**P**rocul ô procul uagantum  
Portenta somniorum,  
Procul esto peruicaci  
Præstigiator astu.

**O**tortuose serpens,  
Qui mille per Meandros,  
Fraudesq; flexuosaſ  
Agitas quieta corda.

**D**iscede, Christus hic est,  
Hic Christus est, liqueſce,  
Signum, quod ipſe noſti,  
Damnat tuam cateruam.

**C**orpus licet fatigens  
Iaceat recline paulum,  
Christum tamen ſub ipſo  
Meditabimur ſopore.

#### HYMNVS IEIVNANTIVM.

**C**armen monocolon Iambicum, ſenarium, acatalecti-  
cum, locis imparibus habens Spondæum, Anapestum,  
Iambum, Tribrachum: Paribus uero Iambum, & non-  
mumquam Anapestum. Eius ſpecimen, ſi uoles, licet  
mutuare

mutuari ex primo hymno : Senex fidelis.

**O** Nazarene dux Bethleem, uerbum patris, *Bethleem nō*  
Quem partus alui uirginalis protulit,  
Adesto castis Christe parsimonij, *qui eff. castos*  
Festumq; nostrum rex serenus aspice,  
Ieiuniorum dum litamus uictimam.  
Nihil hoc profecto purius mysterio,  
Quo fibra cordis expiatur liudi,  
Intemperata quo domantur uiscera  
A ruina, putrem ne resudamus crapulam  
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.  
Hinc subiugatur luxus, & turpis gula,  
Vini atq; somni degener socordia,  
Libido sordens, inuercundus lepos,  
Variæq; pestes languidorum sensuum,  
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.  
Nam si licenter diffluens potu, & cibo,  
Iciuna rite membra non coerces,  
Sequitur, frequenti marcida oblectamine,  
Scintilla mentis ut te pescat nobilis,  
Animusq; pigris stertat ut præcordijs.  
Frenentur ergo corporum cupidines,  
Detersa ut intus emicet prudentia,  
Sic excitato perspicax acumine,  
Liberq; flatu laxiore spiritus  
Rerum parentem rectius precabitur.  
Helias tali creuit obseruantia  
Vetus sacerdos, ruri hospes aridi,

3 reg 19

Fragore

Fragore ab omni quem remotum & segregem  
Spreuisse tradunt criminum frequentiam,  
Casto fruentem Syrtium silentio.

Sed mox in auras igneis iugalibus,  
Curruq; raptus euolauit præpeti,  
Ne de propinquo sordium contagio  
Dirus quietum mundus afflaret uirum,  
Olim probatis inclytum ieunijs.

Non ante cœli principem septemplicis  
Moses tremendi fidus interpres throni  
Potuit uidere, quām decem recursibus  
Quater uolutis sol peragrans sydera  
Omni carentem cerneret substantia.

Victus precantis solus in lachrymis fuit.

Nam flendo pernox, irrigatum puluerem  
Humī madentis ore pressit cernuo,  
Donec loquentis uoce perstrictus dei,  
Expaui ignem non ferendum uisibus.

Ioannes huius artis haud minus potens,  
Dei perennis præcucurrit filium,  
Curuos uiarum qui retorsit tramites,  
Et flexuosa corrigens dispendia,  
Dedit sequendam calle recto lineam.

*s. R. D. S. L.*  
Hanc obsequiam præparabat nuncius  
Mox affuturo construens iter deo,  
Cliuosa planis, confragosa ut lenibus  
Conuerterentur, neūe quicquam dcuium.  
Illapsa terris inueniret ueritas.

Not

Aeneas

Non usitatis ortus hic natalibus,  
Oblita lactis iam uieto in pectore  
Matris tetendit serius infans ubera,  
Nec ante partu de senili effusus est,  
Quam prædicaret uirginem plenam deo  
Post in patentes ille solitudines,      *De genere lupi*  
Amictus hirtis bestiarum pellibus,  
Setisue tectus, hispida & lanugine,  
Secessit, horrens inquinari, & pollui  
Contaminatis oppidorum moribus.  
Illic dicata parcus abstinentia  
Potum, cibumq; uir seueræ industrie  
In usq; serum respuebat uesperum,  
Parum locustis & fauolum agrestium  
Liquore pastum corpori suetus darc.  
Hortator ille primus, & doctor nouæ  
Fuit salutis, nam sacrato in flumine  
Veterum piatas lauit errorum notas,      *Perucent*  
Sed tincta postquam membra defecauerat,  
Cœlo resulgens influebat spiritus.  
Hoc ex lauacro labe dempta criminum,  
Ibant renati non secus, quām si rudis  
Auri recocta uena pulchrum splendeat,  
Micet metalli siue lux argentei,  
Sudum polito prænitens purgamine.  
Referre prisci stemma nunc ieiunij  
Libet, fideli proditum uolumine,  
Ut diruendæ ciuitatis incolis.

Fulmen benigni mansu factum patris  
Pie repressis ignibus peperc erit.  
**Gens insolenti præpotens iactantia**  
Pollebat olim, quam fluentem nequiter  
Corrupta uulgo soluerat lasciuia,  
Et inde bruto contumax fastidio,  
Cultum superni negligebat numinis.  
**Offensa tandem iugis indulgentiae**  
Censura, iustis excitatur motibus,  
Dextram perarmat rompheali incendio,  
Nimbos crepantes, & fragosos turbines  
Vibrans, tonantum nube flamm arum quatit.  
**Sed pœnitendi dum datur diecula,**  
Si forte uellent improbam libidinem,  
Veteresq; nugas condomare, ac frangere,  
Suspendit iustum terror exorabilis,  
Paulumq; dicta substitit sententia.  
**Ionam prophetam mitis ulti or excitat,**  
Pœnae imminentis iret ut prænuncius:  
Sed nosset ille cum minacem iudicem  
Seruare malle, quam ferire, ac plectere,  
Tectam latenter uertit in Tharsos fugam.  
**Celsam paratis pontibus scandit ratem,**  
Vdo reuincta func puppis soluitur,  
Itur per altum, fit procellosum mare,  
Tum caussa tanti queritur periculi,  
Sors in fugacem missa uatem decidit.  
**Iussus perire solus è cunctis reus,**

Cuius

Cuius uoluta crimen urna expresserat,  
Præceps rotatur, et profundo immegitur.  
Exceptus inde beluini faucibus,  
Alui capacis uiuus hauritur specu.

Transmissa raptim præda, cassos dentium  
Eludit ictus, incruentam transuolans  
Impune linguam, ne retentam mordicus,  
Offam molares dissecarent uiuidi,  
Os omne transit, et Palatum præterit.

Ternis dierum, ac noctium processibus  
Mansit ferino deuoratus gutture,  
Errabat illic per latebras uiscerum,  
Ventriss recessus circumibat tortiles  
Anhelus, extis intus æstuantibus.

Intactus ex in tertiae noctis uice,  
Monstri uomentis pellitur singultibus,  
Qua murmuranti fine fluctus frangitur,  
Salsosq; candens spuma tundit pumices,  
Ructatus exit, seq; seruatum stupet.

In Niniuitas se coactus percito  
Gressu reflectit, quos ut increpauerat  
Pudenda censor imputans obprobria,  
Impendet, inquit, ira summi uindicis,  
Vrbemq; flamma mox cremabit, credite.

Apicem deinceps ardui montis petit,  
Visurus inde conglobatum turbidae,  
Fumum ruinae, cladis et diræ struem,  
Tectus flagellis multimodis germinis,

C

Nato

Nato & repente perfruens umbraculo.  
Sed moesta postquam ciuitas uulnus noui  
Hausit doloris, heu supremum palpitat,  
Cursant per ampla congregatim mœnia  
Plebs, & senatus, omnis ætas ciuium,  
Pallens iuuentus, eiulantes fœmine.  
Placet frementem publicis ieiunijs  
Placare Christum, mos edendi spernitur.  
Glaucos amictus induit monilibus  
Matrona demptis, proq; gemma, & serico  
Crinem fluentem sordidus spargit cinis.  
Squalent recincta ueste pullati patres,  
Setasq; plangens turba sumit textiles,  
Impexa uillis virgo bestialibus,  
Nigrante uultum contegit uelamine,  
Iacens harenis & puer prouoluitur.  
Rex ipse, Chios æstuantem murices  
Læna reuulsa dissipabat fibula  
Gemmas uirentes, & lapillos sutiles,  
Insigne frontis exuebat uinculum  
Turpi capillos impeditos puluere.  
Nullus bibendi, nemo uescendi memor,  
Ieiuna mensas pubes omnis liquerat,  
Quin & negato lacte uagientium  
Fletu madescunt paruolorum cunulæ,  
Succum papillæ parca nutrix denegat.  
Greges & ipsos claudit armentalium  
Solers uirorum cura, ne uagum pecum.

Contingat

Contingat ore vorulenta gramina,  
Potum strepentis neue fontis hauriat,  
Vacuis quærelæ personant præsepibus.  
Mollitus his, & talibus, breuem deus  
Iram refrenat, temperans oraculum  
Prospex sinistrum, prona nam clementia  
Haud difficulter supplicem mortalium  
Soluit reatum, fitq; fætrix flentium  
Sed cur uctustæ gentis exemplum loquor?  
Pridem caducis cum grauatus artubus  
Iesus: dicato corde ieunauerit,  
Prænuncipatus ore qui propheticō  
Emanuel est, siue nobiscum Deus.  
Qui corpus istud molle naturaliter  
Captumq; laxo sub uoluptatum iugo,  
Virtutis arcta lege fecit liberum,  
Emancipator seruientis plasmatis,  
Regnantis ante uictor & cupidinis.  
In hospitali nanq; secretus loco  
Quinis diebus octies labentibus,  
Nullam ciborum uindicauit gratiam,  
Firmans salubri scilicet ieunio  
Vas appetendis imbecillum gaudijs.  
Miratus hostis posse limum tabidum  
Tantum laboris sustinere, ac perpeti,  
Explorat arte sciscitator callida,  
Deus ne membris sit receptus terreis,  
Sed increpata fraude post tergum ruit.

Hoc

Hoc nos sequamur quisq; nunc pro uiribus,  
Quod consecrati tu magister dogmatis,  
Tuis dedisti Christe sectatoribus,  
Ut cum uorandi uicerit libidinem,  
Late triumphet imperator spiritus.  
Hoc est quod atri liuor hostis inuidet,  
Mundi poliq; quod gubernator probat,  
Altaris aram quod facit placabilem,  
Quod dormientis excitat cordis fidem,  
Quod limat ægram pectorum rubiginem.  
Perfusa non sic amne flamma extinguitur,  
Nec sic calente sole tabescunt niues,  
Ut turbidarum scabra culparum seges  
Vanescit almo trita sub iejunio,  
Si blanda semper misceatur largitas.  
Est quippe et illud grande uirtutis genus,  
Operire nudos, indigentes pascere,  
Opem benignam ferre supplicantibus,  
Unam, paremque fortis humanae uicem  
Inter potentcs atque egenos ducere.  
Satis beatus quisq; dextram porrigit,  
Laudis rapacem, prodigam pecuniae,  
Cuius sinistra dulce factum nesciat,  
Illum perennes protinus complent opes,  
Ditatque fructus fænerantem centuplex.

HYMNVS POST IEIVNIVM.

Carmen Sapphicum, hendecasyllabum, constans Trochæo, Spôdæo, dactylo, et duobus Trochæis, hoc modo.

-v - - -vv -v -v  
Quartus uero quisq; Adonius est, constans Dactylo,  
Spondæo, hoc modo.

- vv - -  
**C**hriste seruorum regimen tuorum,  
Mollibus qui nos moderans habenis,  
Leniter frenas, faciliq; septos  
Lege coerces.

Ipsæ cum portans onus impeditum  
Corporis, duros tuleris labores,  
Maior exemplis, famulos remisso  
Dogmate palpæ.

Nona summissum rotat hora solem,  
Partibus uixdum tribus euolutis,  
Quarta deuexo superest in axe  
Portio lucis.

Nos breuis uoti dape uindicata <sup>Propriata</sup>  
Soluimus festum, fruimurq; mensis  
Affatim plenis, quibus imbuatur  
Prona uoluptas.

Tantus æterni fauor est magistri,  
Doctor indulgens ita nos amico  
Lactat hortatu, leuis obsequula ut  
Mulceat artus.

Addit, & ne quis uelit inuenusto  
Sordidus cultu lacerare frontem,  
Sed decus uultus, capitisq; pexum  
Comat honorem.

Terge

Terge ieiunans, ait, omne corpus,  
Neue subducto faciem rubore  
Lucus tingat color, aut notetur  
Pallor in ore.

Rectius læto tegimus pudore  
Quicquid ad cultum patris exhibemus,  
Cernit occultum deus, et latentem  
Munere donat.

Ille ouem morbo residem, gregiisque;  
Perditam sanat male dissipantem  
Vellus adfixis uepribus per hirtæ  
Deuia sylue.

Impiger pastor reuocat, lupisque;  
Gestat exclusis humeros grauatus,  
Inde purgatam reuehens aprico  
Reddit ouili.

Reddit et pratis, uiridiisque campo  
Vibrat implexis ubi nulla lapis  
Spina, nec germe sudibus perarmat  
Carduus horrens.

Sed frequens palmis nemus, et reflexa  
Vernat herbarum coma, tum perennis  
Gurgitem uiuis uitreum fluentis  
Laurus obumbrat.

Hisce pro donis tibi fide pastor,  
Seruitus quæ nam poterit rependi?  
Nulla compensant premium salutis  
Vota precantium.

Quamlibet

Quamlibet spredo sine mora pastu  
Sponte confessos tenuemus artus,  
Teq; contemptis epulis rogamus  
Nocte, dieq;.

Vincitur semper minor obsequentum  
Cura, nec munus genitoris aequat,  
Frangit in cratem luteam laboris  
Grandior usus.

Ergo ne limum fragilem solutæ  
Deserant uires, et aquosus albis  
Humor in uenis dominetur, aegrum  
Corpus enervans.

Laxus, ac liber modus abstinendi  
Ponitur cunctis, necq; nos seuerus  
Terror impellit, sua quenq; cogit  
Velle potestas.

Sufficit quicquid facias uocato  
Numinis nutu prius, inchoare,  
Siue tu mensam renuas, cibumq;  
Sumere tentes.

Annuit dexter deus, et secundo  
Prosperat uultu, uelut hoc salubre  
Fidimus nobis fore, quod dicatas  
Carpimus escas.

Sit bonum supplex precor, et medelam  
Conferat membris, animumq; pascat  
Sparsus in uenas cibus obsecrantum  
Christicolarum.

Hymnus

## HYMNVS OMNI HORA.

Carmen Trochaicum, tetrametrum, monocolon, tri-  
strophon, catalecticum: Paribus locis habet Trochaeum,  
Spondeum, et nonnunquam Anapestum: Imperibus Tro-  
chaeum, Tribrachum, et Dactylum, hoc modo.

- u - - - u - -

- u - u - u u

**D**A puer plectrum, choreis  
Ut canam fidelibus,  
Dulce carmen, et melodum,  
Gesta Christi insignia,  
Hunc canœna nostra solum  
Pangat, hunc laudet lyra.  
Christus est, quem rex sacerdos  
Ad futurum protinus  
Infulatus concinebat  
Voce, chorda, et tympano,  
Spiritum cœlo influentem  
Per medullas hauriens.  
Facta nos etiam probata  
Pangimus miracula,  
Testis est orbis, nec ipsa  
Terra, quod uidit, negat,  
Comminus deum docendis  
Proditum mortalibus.  
Corde natus ex parentis,  
Ante mundi exordium,  
Alpha et omega cognominatur.

ipso

Ipse fons, & clausula,  
Omnium, quis sunt, fuerunt,  
Quæq; post futura sunt.  
Ipse iussit, & creata,  
Dixit ipse, & facta sunt,  
Terra, cœlum, fossa ponti,  
Trina rerum machina,  
Quæq; in his uigent sub alto  
Solis, & lunæ globo.  
Corporis formam caduci,  
Membra morti obnoxia  
Induit, ne gens periret  
Primo plasti ex germine,  
Merserat quem lex profundo  
Noxialis tartaro.  
O beatus ortus ille,  
Virgo cum puerpera  
Edidit nostram salutem,  
Fœta sancto spiritu,  
Et puer redemptor orbis  
Os sacratum protulit.  
Psallat altitudo cœli,  
Psallant te omnes angeli,  
Quicquid est uirtutis usquam  
Psallat in laudem Dei:  
Nulla linguarum silescat,  
Vox & omnis consonet.  
Ecce quem uates uetus istis

D      Concinebant

Concinebant seculis,  
Quem prophetarum fideles  
Pagine spoponderant,  
Emicat, promissus olim,  
Cuncta collaudent eum.  
*Cantharis infusa lympha*  
Fit falernum nobile,  
Nunciat uinum minister  
Esse promptum ex hydria.  
Ipse rex sapore tinctis  
Obstupescit poculis.  
*Membra morbis ulcerosa,*  
Viscerum putredines  
Mando, ut abluantur, inquit,  
Fit ratum, quod iusserrat,  
Turgidam cutem repurgant  
Vulnerum piamina.  
*Tu perennibus tenebris*  
Iam sepulta lumina  
Illinis limo salubri,  
Sacri & oris nectare  
Mox apertis, hac medela  
Lux reducta est orbibus.  
*Increpas uentum furentem,*  
Quod procellis tristibus  
Vertat æquor fundo ab imo,  
Uxet & uagam ratem:  
Ille iussus obsecundat,

Mitis

Mitis unda sternitur.  
Extimum uestis sacratae  
Furtim mulier attigit,  
Protinus salus secuta est,  
Ora pallor deserit,  
Sistitur riuus, cruore  
Qui fluebat perpeti.  
Exitu dulcis iuuentæ  
Raptum ephebum uiderat,  
Orba quem mater supremis  
Funerabat fletibus:  
Surge dixit, ille surgit,  
Matri et astans redditur.  
Sole iam quarto carentem,  
Iam sepulchro absconditum  
Lazarum iubet uigere  
Reddito spiramine,  
Faetidum iecur reductus  
Rursus intrat halitus.  
Ambulat per stagna ponti,  
Summa calcat fluctuum,  
Mobilis liquor profundi  
Pendulam præstat uiam,  
Nec fatiscit unda sanctis  
Pressa sub uestigijs.  
Suetus antro bustiali  
Sub catenis frendere,  
Mentis impios efferatis

D 2      *Percius*

Percitus furoribus  
Profluit, ruitq; supplex  
Christum adesse ut senserat.  
**P**ulsa pestis lubricorum  
Milleformis dæmonum  
Corripit gregis suilli  
Sordida spurcamina,  
Seq; nigris mergit undis,  
Ut pccus lymphaticum.  
**F**ert qualis ter quaternis  
Ferculorum fragmina,  
Affatim referta iam sunt  
Accubantum millia  
Quinq; panibus perefit,  
Et gemellis piscibus.  
**T**u cibis, panisq; noster,  
Tu perennis suauitas,  
Nescit esurire in æuum  
Qui tuam sumit dapem,  
Nec lacunam uentris implet,  
Sed uouet uitalia.  
**C**lausus aurium meatus,  
Et sonorum nescius,  
Purgat ad præcepta Christi  
Crassa quæq; obstacula  
Vocibus capax fruendis,  
Ac susurris peruius.  
**O**mnis ægritudo cedit,

Languor

Languor omnis pellitur,  
Lingua fatur, quam ueterna  
Vinxerant silentia,  
Gestat & suum per urbem  
Lætus æger lectulum.  
Quin & ipsum, ne salutis  
Inferi expertes forent,  
Tartarum benignus intrat.  
Fractaque cedit ianua,  
Vectibus cadit reuulsus  
Cardo dissolubilis.  
Illa prompta ad irruentes,  
Ad reuertentes tenax,  
Obice retrorsum pulso  
Porta reddit mortuos  
Lege uersa, & limen atrum  
Iam recalandum patet.  
Sed deus dum luce fulua/  
Mortis antra illuminat,  
Dum stupentibus tenebris  
Candidum præstat diem,  
Tristia squalentis æthræ *versus finit. q. 2.*  
Palluerunt sydera: *Præ. dicitur*  
Sol refugit, & lugubri *... p. 3.*  
Sordidus ferrugine  
Igneum reliquit axem,  
Seque mœrens abdidit,  
Fertur horruisse mundus

D 3      Noctis

Noctis æternæ chaos.  
Solute uocem mens sonoram,  
Solute linguam mobilem,  
Dic trophyum passionis,  
Dic triumphalem crucem,  
Pange uexillum notatis  
Quod refulget frontibus.  
O nouum cæde stupenda  
Vulneris miraculum,  
Hinc cruoris fluxit unda,  
Lympha parte ex altera,  
Lympha nempe dat lauacrum,  
Tum corona ex sanguine est.  
Vidit anguis immolatam  
Corporis sacri hostiam,  
Vidit et sellis perusti,  
Mox uenenum perdidit,  
Saucius dolore multo  
Colla fractus sibilat.  
Quid tibi profane serpens,  
Profuit rebus nouis  
Plasna primunt perculisse  
Versipelli astutia?  
Diluit culpam recepto  
Forma mortalis deo.  
Ad breuem se mortis usum  
Dux salutis dedidit,  
Mortuosq; olim sepultos

Ut redire

Ut redire insuereret,  
Dissolutis pristinorum  
Vinculis peccaminum.  
Hunc patres, sancti q; multi  
Conditorem præium  
Iam reuertentem secuti,  
Tertio demum die  
Carnis indumenta sumunt,  
Eq; bustis prodeunt.  
Cerneres coire membra  
De fauillis aridis,  
Frigidum uenis resumptis  
Puluerem tepeſcere,  
Ossa, neruos, ac medullas  
Glutino cutis tegi.  
Post ut occasum resoluit  
Vitæ, & hominem reddidit  
Arduum tribunal alti,  
Victor ascendit patris,  
Inclytam cælo reportans  
Passionis gloriam.  
Macte iudex mortuorum,  
Macte rex uiuentium,  
Dexter in parentis arce  
Quid uis uirtutibus  
Omnium uenturus inde  
Iustus ulti criminum.  
Te senes, & te uiuentus,

D 4

Parvulorum

Paruulorum te chorus,  
Turba matrum, uirginumq;  
Simplices puellulæ,  
Voce concordes pudicis  
Perstrepant concentibus.  
**F**luminum lapsus, et undæ,  
Littorum crepidines,  
Imber, æstus, nix, pruina,  
Sylua, et aura, nox, dies,  
Omnibus te conclebrent  
Seculorum seculis.

H Y M N V S I N E X E Q V I I S  
defunctorum.

Carmen monocolon Anapesticum, dimetrum, Cata=lecticum, constat tribus anapestis et syllaba: Quamuis Prudentius promiscue duabus prioribus sedibus Anapesto et Spondeo utatur, tertia uero Anapesto est peculiaris, hoc modo.

U U -      U U -      U U -      -

**D** Eus igne fūns animarum,  
Duo qui socians elementa,  
Viuum simul, ac moribundum  
Hominem pater effigiasti.  
**T**ua sunt, tua rector utraq;  
Tibi copula iungitur horum,  
Tibi dum uegetata cohærent,  
Spiritus simul et caro uiuit.  
**R**escissa sed ista seorsum,

Proprios

Proprios reuocantur in ortus,  
Petit alter æthera feruens,  
Humus excipit arida corpus.  
Rescissa sed ista seorsum  
Soluunt hominem, perimuntq;;  
Humus excipit arida corpus,  
Anumæ rapit aura liquorem.  
Quia cuncta creata necesse est  
Tabefacta senescere tandem,  
Compaqtæq; dissociari,  
Et dissona texta retexi.  
Hanc tu deus optime mortem  
Famulis abolere paratus,  
Iter inuiolabile monstras,  
Quo perdita membra resurgant.  
Ut dum generosa caducis,  
Ceu carcere clausa ligantur,  
Pars illa potentior extet,  
Quæ germen ab æthere traxit.  
Si terrea forte uoluntas  
Luteum sapit, et graue captat,  
Animus quoq; pondere uictus,  
Sequitur sua membra deorsum.  
At si generis memor ignis  
Contagia nigra recuset,  
Uchit hospita uiscera secum,  
Pariterq; reportat ad astra.  
Nam quod requiescere corpus

D 5 VACUUM

Vacuum sine mente videntemus,  
Spacium breve restat, ut alti  
Repetat collegia sensus.

Venient cito secula, cum iam  
Socius calor ossa reuisat,  
Animataq; sanguine uiuo  
Habitacula pristina gestet.

Quæ pigra cadauera pridem  
Tumulis putrefacta iacebant,  
Volucres rapientur in auras,  
Animas comitata priores.

Hinc maxima cura sepulchris  
Impenditur, hinc resolutos  
Honor ultimus accipit artus,  
Et funeris ambitus ornat.

Candore nitentia claro  
Pretendere linte a mos est,  
Aspersaq; myrrha Sabæo  
Corpus medicamine seruat.

Quid nam sibi saxa cauata?  
Quid pulchra uolunt monumenta?

Res quod nisi creditur illis  
Non mortua, sed data somno?

Hoc prouida christicolarum  
Pietas studet, utpote credens  
Fore protinus omnia uiua,  
Quæ nunc gelidus sopor urget.

Qui iacta cadauera passim

Miserans

Miserans tegit aggere terræ,  
Opus exhibet ille benignum  
Christo pius omnipotenti.  
**Q**ui a lex eadem monet omnes  
Gemitum dare forte sub una,  
Cognataq; funera nobis  
Aliena in morte dolere.  
**S**ancti sator ille Tobiae,  
Sacer ac uenerabilis heros,  
Dapibus iam rite paratis  
Ius prætulit exequiarum.  
**I**am stantibus ille ministris,  
Cyathos & fercula liquit,  
Studioq; accinctus humandi,  
Fletu dedit ossa sepulchro.  
**V**eniunt mox præmia cœlo,  
Preciumq; rependitur ingens,  
Nam lumina nescia solis  
Deus illa felle serenat.  
**I**am tunc docuit pater orbis,  
Quam sit rationis egena,  
Mordax & amara medela,  
Cum lux animum noua uexat.  
**D**ocuit quoq; non prius illum  
Cœlestia cernere regna,  
Quam nocte & uulnere tristi  
Tollerauerit aspera mundi.  
**M**ors ipsa beatior inde est,

Quod

**Q**uod per cruciamina loethi  
Via panditur ardua iustis  
Et ad astra doloribus itur.  
**S**ic corpora mortificata  
Redeunt melioribus annis,  
Nec post obitum recalescens  
Compago fatiscere nouit.  
**H**æc quæ modo pallida tabo  
Color albidus inficit ora,  
Tunc flore uenustior omni  
Sanguis cute tingit amoena.  
**N**am nulla deinde senectus  
Frontis decus inuida carpet,  
Macies neq; sicca lacertos  
Succo tenuabit adeso.  
**M**orbus quoq; pestifer artus  
Qui nunc populatur anhelos,  
Sua tunc tormenta resudans  
Luet inter uincula mille.  
**H**unc eminus aëre ab alto  
Victrix caro, iamq; perennis  
Cernet sine fine gementem,  
Quos mouerat ipse dolores.  
**Q**uid turba superstes inepta  
Clangens ululamina miscet?  
Cur tam bene condita iura,  
Lucta dolor arguit amens?  
Iam mœsta quiesce querela,

Lachrymas

Lachrymas suspendite matres,  
Nullus sua pignora plangat,  
Mors hæc, reparatio uitæ est.  
**Sic** semina sicca uirescunt  
Iam mortua, iamq; sepulta,  
Quæ redditæ cespite ab imo  
Veteres meditantur aristas.  
**Nunc** suscipe terra fouendum,  
Gremioq; hunc concipe molli,  
Hominis tibi membra sequestro  
Generosa & fragmina credo.  
**Animæ** fuit hæc domus olim  
Factoris ab ore creatæ,  
Feruens habitauit in istis  
Sapientia principe Christo.  
**Tu** depositum tege corpus,  
Non immemor ille requiret  
Sua munera factor, & author,  
Proprijq; ænigmata uultus.  
**Veniant** modo tempora iusta,  
Cum spem deus impletat omnem,  
Reddas patefacta necesse est,  
Qualem tibi trado figuram.  
**Non** si cariosa uetus as  
Dissoluerit ossa fauillis,  
Fueritq; ciniculus arens,  
Minimi mensura pugilli.  
**Nec** si uaga flumina, & aure

Vacuum

Vacuum per inane uolantes,  
Tulerint cum puluere neruos,  
Hominem periisse licebit.  
Sed dum resoluble corpus  
Reuocas deus, atq; reformas,  
Quia nam regione iubebis  
Animam requiescere puram?  
Gremio senis abdita sancti  
Recubabit, ut est Eleazar,  
Quem floribus undiq; septum  
Diues procul aspicit ardens.  
Sequimur tua dicta redemptor,  
Quibus atra morte triumphans,  
Tua per uestigia mandas  
Socium crucis ire latronem.  
Patet ecce fidelibus ampli  
Via lucida iam paradisi,  
Licet e& nemus illud adire,  
Homini quod ademerat anguis.  
Illud precor optime duxtor,  
Famulam tibi præcipe mentem  
Genitali in sede sacrari,  
Quam liquerat exul e& errans.  
Nos tecta fouebimus ossa  
Violis, e& fronde sequenti,  
Titulumq; e& frigida saxa  
Liquido spargemus odore.

Hymnus

HYMNVS OCTAVO KALEN-  
das Ianuarias.

Carmen Iambicum, dimetrum, Acatalecticum, reci-  
piens locis imparibus Spondaeum, & nonnunquam An-  
apestum: paribus uero Iambum, hoc modo.

v- v- -- v-

**Q**uid est quod arctum circulum  
Sol iam recurrens deserit?  
Christus ne terris nascitur,  
Qui lucis auget trahitem?  
Heu quam fugacem gratiam  
Festina uoluebat dies,  
Quam penè subductam facem  
Sensim recisa extinxerat.  
Cœlum nitescat lætius,  
Gratetur & gaudens humus,  
Scandit gradatim denuo  
Iubar priores lineas.  
Emerge dulcis pusio,  
Quem matris edit castitas,  
Parens & expers coniugis  
Mediator, & duplex genus.  
Ex ore quamlibet patris  
Sis ortus & uerbo editus,  
Tamen paterno in pectore

Sophia

nus



*Sophia calebas prius.  
Quæ prompta cœlum condidit,  
Cœlum, dicm̄q; & cætera,  
Virtute uerbi effecta sunt  
Hæc cuncta : nam uerbum deus.  
Sed ordinatis seculis,  
Rerumq; digesto statu,  
Fundator ipse & artifex  
Permansit in patris sinu.  
Donec rotata annalium  
Transuoluerentur millia,  
Atq; ipse peccantem diu  
Dignatus orbem uiseret.  
Nam cæca uis mortalium  
Venerans inanes neniae,  
Vel æra, uel saxa algida,  
Vel ligna credebat deum.  
Hæc dum sequuntur, perfidi  
Prædonis in ius uenerant,  
Et mancipatam sumido  
Vitam barathro immerserant.  
Stragem sed istam non tulit  
Christus cadentum gentium  
Impune, ne forsitan sui  
Patris periret fabrica,  
Mortale corpus induit,  
Ut excitato corpore*

*Mortis*

Mortis catenam frangeret,  
Hominemq; portaret patri.  
Hic ille natalis dies,  
Quo te creator arduus  
Spirauit, & limo indidit,  
Sermone carnem glutinans.  
Sentis ne virgo nobilis,  
Matura per fastidia  
Pudoris intactum decus  
Honore partus crescere?  
O quanta rerum gaudia,  
Alius pudica continet,  
Ex qua nouellum seculum  
Procedit & lux aurca.  
Vagitus ille exordium  
Vernantis orbis prodidit.  
Nam tunc renatus sordidum  
Mundus uaternum depulit.  
Sparisse tellurem rcor  
Rus omne densis floribus,  
Ipsasq; harenas Syrtium  
Fragrasse nardo, & nectare.  
Te cuncta nascentem puer  
Sensere dura, & barbara,  
Victusq; saxorum rigor  
Obduxit herbam cotibus.  
Iam mella de scopulis fluunt,  
Iam stillat ilex arido

E Sudans

Sudans amomum in stipite,  
Iam sunt myricis balsama.  
**O** sancta præsepis tua  
Aeterne rex cunabula,  
Poplisq; per seclum sacra,  
Mutis & ipsis credita.  
**A**dorat hæc brutum pecus,  
Indocta turba scilicet,  
Adorat excors natio,  
Vis cuius in pastu sita est.  
**S**ed cum fideli spiritu  
Concurrat ad præsepio,  
Pagana gens, & quadrupes,  
Sapiatq; quod brutum fuit.  
**N**egat patrum prosapia,  
Perosa præsentem deum,  
Credas uenenis ebriam qz s. Bern d  
Furijsue lymphatagi rapi. ualere furor  
**Q**uid prona per cœlos ruis ? Quid  
Agnosce, si quicquam tibi  
Mentis resedit integræ,  
Ducem tuorum principum.  
**H**unc, quem latebræ & obstetrix  
Et virgo fœta, & cunula,  
Et imbecilla infantia,  
Regem dederunt gentibus.  
**P**eccator intueberis  
Celsum coruscis nubibus. vicius in umbra by  
victus in state magnum  
Delectus

*in proī vānū*  
Deicetus ipse & irritis  
Plangens reatum fletibus.  
Cum uasta signum buccina  
Terris cremandis miserit,  
Et scissus axis cardinem  
Mundi ruentis soluerit.  
Insignis ipse, & præminens  
Meritis rependet congrua,  
His fucis usum perpetis,  
Illi gehennam & tartarum.  
Iudea tunc fulmen crucis  
Experta, qui sit senties,  
Quem te furoris præsule plena et induit  
Mors haesit, & mox reddidit. post tertium dicit  
HYMNVS EPIPHANIAE.  
Ratio carminis huius conuenit cum superiori.  
**Q**uicunq; Christum quæritis,  
Oculos in altum tollite,  
Illic licebit uisere  
Signum perennis gloriae,  
Hæc stella, quæ solis rotam  
Vincit decore, ac lumine,  
Venisse terris nunciat  
Cum carne terrestri deum.  
Non illa seruit noctibus,  
Sequuta lunam menstruam,  
Sed sola cœlum possidens,  
Cursum dierum temperat.

E 2 Arctos

**A**rctoë quamvis sydera  
In se retortis motibus  
Obire nolint, attamen  
Plerunq; sub nimbis latent.  
**H**oc sydus æternum manet,  
Hæc stella nunquam mergitur  
Nec nubis occursu abdita  
Obumbrat obductam facem.  
**T**ristis cometa intercidat,  
Et si quod astrum Sirio  
Feruet uapore, iam dei  
Sub luce destructum cadat.  
**E**n Persici ex orbis sinu,  
Sol unde sumit ianuam,  
Cernunt periti interpretes  
Regale uexillum Magi.  
**Q**uod ut resulfit, ceteri  
Cessere signorum globi  
Nec pulcher est ausus suam  
Conferre formam lucifer.  
**Q**uis iste tantus, inquiunt,  
Regnator, astris imperans,  
Quem sic tremunt coelestia,  
Cui lux & æthra inserviunt?  
**I**llustre quiddam cernimus,  
Quod nesciat finem pati,  
Sublime, cœlsum, interminum,  
Antiquius cœlo, & Chao.

**Hic**

Hic ille rex est gentium,

Oratur pilleus q. Jacob

Populiq; rex Iudaici,

Promissus Abrahæ patri,

Eiusq; in æuum semini.

Aequanda nam stellis sua

Q. t. p. n. m. n. l. o. g. h. a.

Cognouit olim germina,

B. t. r. s. f. i. n. i. t. u. m.

Primus sator credentium,

Nati immolator unici.

Iam flos subit Dauidicus

G. o. g. d. e. s. f. t. o. s. d.

Radice Iessæa editus,

Sceptriq; per uirgam uirens

Rerum cacumen occupat.

Exin sequuntur perciti

Fixis in altum uultibus,

Qua stella sulcum traxerat,

Claramq; signabat uiam.

Sed uerticem pueri supra

Signum pependit imminens

Pronaq; submissum face

Caput sacratum prodidit.

Videre quod postquam Magi,

Eoa promunt munera,

Stratiq; uotis offerunt,

Thus, myrrham, & aurum regium.

Agnosce clara insignia

Virtutis ac regni tui

Puer ô, cui trimam pater

Prædestinavit indolem.

E 3

Regem

Regem, deumq; adiunciant,  
Thesaurus, & flagrans odor  
Thuris Sabæi, ac myrrheus  
Puluis sepulchrum prædocet.

Hoc est sepulchrum, quo deus  
Dum corpus extingui finit,  
Atq; id sepultum suscitat,  
Mortis refregit carcerem.

O sola magnarum urbium  
Maior Bethlem, cui contigit  
Ducem salutis cœlitus  
Incorporatum gignere.

Altrice te summo patri  
Hæres creatur unicus,  
Homo ex tonantis spiritu,  
Idemq; sub membris deus.  
Hunc & prophetis testibus,  
Iisdem signatoribus,  
Testator & sator iubet  
Adire regnum, & cernere.

Regnum, quod ambit omnia  
Dia, & marina, & terrea,  
A solis ortu ad exitum,  
Et tartara, & cœlum supra.

Audit tyrannus anxius  
Adeisse regem principem,  
Qui nomen Israel regat,  
Tencatq; David regiam.

Exclamat

Exclamat amens nuncio,  
Successor instat, pellimur,  
Satelles i, ferrum rape,  
Perfunde cunas sanguine.

Mas omnis infans occidat,  
Scrutare nutricum sinus,  
Interq; materna ubera  
Ensem cruentet pusio.

Suspecta per Bethlem mihi  
Puerperarum est omnium  
Fraus, nequa furtim subtrahat  
Prolem uirilis indolis.

Transfigit ergo carnifex  
Mucrone districto furens  
Effusa nuper corpora,  
Animasq; rimatur nouas.

Locum minutis artibus  
Vix interemptor inuenit,  
Quo plaga descendat patens,  
Iuguloq; maior pugio est.

O barbarum spectaculum,  
Illisa ceruix cautibus  
Spargit cerebrum lacteum,  
Oculosq; per uulnus uomit.

Aut in profundum palpitans,  
Mersatur infans gurgitem,  
Cui subter arctis faucibus,  
Singultat unda & halitus.

**S**alue te flores martyrum,  
Quos lucis ipso in limine  
Christi insecutor sustulit,  
Ceu turbo nascentes rosas.

**V**os prima Christi uictima,  
Grex immolatorum tener  
Aram ante ipsam simplices  
Palma & coronis luditis.

**Q**uid proficit tantum nefas?  
Quid crimen Herodem iuuat?  
Vnus tot inter funera  
Impune Christus tollitur.

**I**nter coœui sanguinis  
Fluenta, solus integer  
Ferrum, quod orbabat nurus,  
Partus fecellit uirginis.

**S**ic stulta Pharaonis mali  
Edicta quondam fugerat,  
Christi figuram præferens  
Moses, receptor ciuium.

**C**autum & statutum iusserat,  
Quo non licet matribus,  
Cum pondus alii absoluere,  
Puerile pignus tollere.

**M**ens obstetricis sedulæ  
Pie in tyrannum contumax,  
Ad spem potentis gloriae  
Eurata seruat parvulum.

**Quem**

Quem mox sacerdotem sibi  
Adsumpsit orbis conditor,  
Per quem notatam saxeis  
Legem tabellis traderet,  
Licetne Christum noscere  
Tanti per exemplum uiri?  
Dux ille cæso Aegyptio  
Absoluit Israel iugo.  
At nos subactos iugiter  
Erroris imperio graui,  
Dux noster hoste saucio  
Mortis tenebris liberat.  
Hic expiatam fluctibus  
Plebem marino in transitu  
Repurgat undis dulcibus,  
Lucis columnam præferens.  
Hic præliante exercitu,  
Passis in altum brachijs,  
Sublimis Amalech premit S. 17  
Crucis quod instar tunc fuit.  
Hic nempe Iesus uerior,  
Qui longa post dispendiā  
Victor suis tribulib⁹ Emulator nostra  
Promissa soluit iugera. Dumbolus  
Qui ter, quaternas deniq;  
Refluentis amnis alueo Vissflent⁹  
Fundauit, & fixit petras,  
Apostolorum stemmata.

E 5 Iure

Iure ergo se Iudæ ducem  
Vidisse testantur Magi,  
Cum facta prisorum ducum  
Christi figuram pinxerint.  
**H**ic rex priorum iudicum  
Rexere qui Jacob genus,  
Dominæq; Rex ecclesiae,  
Templi & nouelli, & pristini.  
**H**unc posteri Effraim colunt, *filius David*  
Hunc sancta Manasse domus, *¶ 2. + 8.*  
Omnesq; suspiciunt tribus  
Bissenâ fratum semina.  
**Q**uin & propago degener *in quo h. p. c. m. o.*  
Ritum sequuta inconditum,  
Quæcunq; dirum feruidis *et r. v. d. g. + . 2. 17.*  
Baal caminis coxerat. *¶ 1. n. p. r. u. t.*  
Fumosa auorum numina *¶ 8. 1. 14. b. a. n. g.*  
Saxum, metallum, stipitem,  
Rasum, dolatum, sectile,  
In Christi honorem deserit.  
**G**audete quicquid gentium est,  
Iudæa, Roma, & Græcia,  
Aegypte, Thrax, Persa, & Scytha,  
Rex unus omnes possidet.  
**L**audeate uestrum principem  
Omnes beati, ac perditii,  
Viui, imbecilli, ac mortui,  
Iam nemo posthac mortuus.

C. Sedulij

C. SEDVLII PRESBYTERI HY-  
mnus de Christo succincte ab Incarnatio-  
ne usq; ad Ascensionem.

**A** Solis ortus cardine  
Ad usq; terræ limitem  
Christum canamus principem  
Natum Maria uirgine.  
Beatus author seculi  
Seruile corpus induit,  
Ut carne carnem liberans,  
Ne perderet quos condidit.  
Castæ parentis uiscera  
Cœlestis intrat gratia,  
Venter puellæ baiulat  
Secreta, quæ non nouerat.  
Domus pudici pectoris  
Templum repente fit dei,  
Intacta nesciens uirum  
Verbo concepit filium.  
Enixa est puerpera,  
Quem Gabriel predixerat,  
Quem matris aluo gestiens  
Clausus Ioannes senserat.  
Fœno iacere pertulit,  
Præsepe non abhorruit,  
Paruoq; lacte pastus est,  
Per quem nec ales esurit.

Gaudet

**Gaudet chorus cœlestium,**  
Et angeli canunt deo,  
Palam quæ fit pastoribus  
Pastor creator omnium.  
**Hostis Herodes impie,**  
Christum uenire quid times,  
Non eripit mortalia,  
Qui regna dat cœlestia.  
**Iabant magi quam uiderant**  
Stellam sequentes præuiam,  
Lumen requirunt lumine,  
Deum fatentur munere.  
**Katerua matrum personat,**  
Conlisa deflens pignora,  
Quorum tyrannus millia  
Christo sacrauit uictimam.  
**Lauacra puri gurgitis**  
Cœlestis agnus attigit,  
Peccata quæ non detulit  
Nos abluedo sustulit.  
**Miraculis dedit fidem**  
Habere se deum patrem,  
Infirma sanans corpora,  
Resuscitans cadavera.  
**Nouum genus potentie,**  
Aquæ rubescunt hydriæ,  
Vinumque iussa fundere,  
Mutauit unda originem.

**O**rat salutem seruulo  
Flexus genu Centurio,  
Credentis ardor plurimus  
Extinxit ignes febrium.  
**P**etrus per undas ambulat  
Christi leuatus dextera,  
Natura quam negauerat  
Fides parauit semitam.  
**Q**uarta die iam fœtidus  
Vitam recepit Lazarus  
Cunctisq; liber uinculis  
Factus superstes est sibi.  
**R**iuos cruoris horridi  
Contacta uestis obstruit  
Fletu rigante supplicis  
Arent fluenta sanguinis.  
**S**olutus omni corpore  
Iussus repente surgere  
Suis micissim gressibus  
Aeger uehebat lectulum.  
**T**unc ille Iudas carnifex  
Ausus magistrum tradere,  
Pacem ferebat osculo,  
Quam non habebat pectore.  
**V**erax datur fallacibus,  
Pium flagellat impius  
Cruciq; fixus innocens  
Coniungitur latronibus.

Xeromyrrham

Xeromyrrham post sabbatum  
Quædam uechabant corpori,  
Quas allocutus angelus,  
Viuum sepulchro non tegi.

Ymnis uenite dulcibus  
Omnes canamus subditum  
Christi triumpho tartarum,  
Qui nos redemit uenditus.

Zelum Draconis inuidi  
Et os leonis pessimi  
Calcauit unicus Dei  
Seseq; cœlis reddidit.

FINIT HYMNVS SEDVLII PRESBYTERI,  
de Christi laudibus, in quo uersiculorum prin=   
cipia grandiusculis notata literis continent  
omnes literas Alphabeti, ab  
A. usq; ad. Z.

LIPSIAE EX OFFICINA NICO=   
LAI FABRI, ANNO.  
M. D. XXXIII.





155649

AB 155649

**ULB Halle**  
003 932 311

3



geb. 6.58 CLK.



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



# AVRELII

RUDENTII CLEMENTIS VI=  
ri Consularis atq; Poëtae Christianissimi  
Liber καθημορφωμ, id est, opus re=rum diurnarum, in usum pie*iuuentutis* editus.

llecta est Petri Mosellani epistola. Nam Leo= nardi Quercini ineptum de pientissimo pocta iudicium nihil moramur.

ANNO M. D. XXXIII.

Lipsiae excudebat Nicolaus Faber,  
MENSE SEPTEMBRI.

I vos et vos rogo  
Tempore sperat turpiter misere  
Pisces nobilium qd dedit meo Iesu omni